

PNEUMATOLOGIA

sive

DOCTRINA

de

SPIRITIBUS CREATIS

in qua

præmissa historica eorundem tractatione, natura & proprietates spiritus creati in genere listuntur, & speciatim essentia *naturarum plasticarum, animarum in brutis & mentis humanæ* justo ordine ac succincte exponitur, omnesque huc pertinentes controversiæ eruuntur.

AUCTORE

FRID. GENTZKENIO,

PROF. PHILOS. THEOR. ORD.

K I L O N I,

Literis Johannis Christophori Reutheri, Acad. Typogr.

Anno 1725.

7

a. XXXIX. 15.

Ill. coll. diss. A
15



Lectori benevolo.

S. P.

Quod si nullam philosophiae partem mortalium phantasia & inde fluens superstitio defoedavit, talis haec, quae de spiritibus agit, est doctrina, ut inter eruditos iudicii purioris non pauci fuerint, qui rem totam ceu corruptae imaginationis inventum rejecerunt, & rationi magis convenientius reputarunt, vel spiritum creatum plane negare, quam Scholasticorum nugae, & Cartesianorum vanas speculationes amplecti. Cum autem lex sapientiae extrema vitare, mediamque potius incedere viam jubeat, rem a nugis, verum a falso sollicite secernendum esse judicavi, eumque in finem, quae fieri potuit industria & meditatione, in sat breve compendium a me sunt digesta, quae partim ex certis partim probabilibus argumentis de spirituum creatorum natura a viris doctis subinde in libello allegatis accurate esse tradita reperii, in primis cum a solida hujus disciplinae cognitione insignis usus non solum in omnes philosophiae partes, sed etiam in superiores, ut vocantur, facultates redundet. Vale & conatibus nostris fave.

Sächs.
Landes-
Bibl.

PRO-

1733. XXXVII. 10

PROLEGOMENA.

§. 1.



Quamvis inter veteres ac recentiores haud pauci philosophorum *spiritus naturam ac essentialis proprietates* paululum accuratius scrutari conati sint. operam tamen haut inutilem me facturum spero, si, quæ in illorum scriptis circa hanc materiam prolixè & partim satis confuse tradita inveniuntur, adhibita prius sedula meditatione, breviter ac distinctè in præfenti exponerem.

§. 2. Doctrina hæc eo magis est scitu necessaria, quo demum perfectius *physicæ systema* ex combinatione doctrinæ de *spiritu* cum *mechanica materia dispositione* conficiatur, quemadmodum id ipsum in *physica* prolixè satis demonstravimus.

§. 3. Quodsi itaque philosophorum scripta & tradita de spiritu consulimus, initio se nobis offerunt *Chaldæi*, qui, dum credebant duo rerum principia diversa, *lucem* sc. & *tenebras*, inde etiam diversa spirituum genera promanasse arbitrabantur.

§. 4. Spirituum ex *luce* promanantium species numerabantur ab iis sequentes.

I. *Intelligibiles & intellectuales naturæ*, quæ perfectam Dei, sui ipsius & aliarum rerum notitiam possideant. Ex his nonnullos vocabant

Cosmagogas, quorum officium sit, ut providis suis motionibus mundum regant.

II. *Azoni*, qui libere exerant suam potestatem in zonis, sintque ordinario supra coelum & planetas collocati.

III. *Zonai*, qui necessario zonas in coelo circumvolvunt, & quæ ibidem occurrunt, administrant.

IV. *Angeli & demones boni*, qui quasi nuncii ac ministri Dei, etiam hoc munere fungantur, ut probis assistant, eorumque animas ad loca beata reducant.

V. *Mentes humane*, quas ex sede lucida ob varias causas demissas esse credebant in corpora terrestria, unde, si bene operam suam accommodaverint, in priorem locum sint rediturae, sin male, in sedes deteriores, pro ratione eorum operum, quæ in vita perpetrarunt.

§. 5. Quemadmodum dicta spirituum genera lucida & immortalia crediderunt; sic e contrario statuebant, e tenebris ortos spiritus esse materiales ac tenebricosos, tantumque horum numerum, ut non solum aer iis sit refertus, sed etiam terra & maria iisdem undique abundant.

§. 6. Horum materialium demonum sex imprimis ab iis numerabantur genera, scilicet

I. *Igni*, qui in superiori aeris regione ordinariam haberent sedem.

II. *Aerei*, qui in inferiori aeris regione divagarentur.

III. *Terrestres*, qui in terræ superficie morarentur.

IV.

IV. *Marini*, qui in aquis ordinario habitarent.

V. *Subterranei*, qui in terræ visceribus latitent.

VI. *Lucifugi* s. *terribiles*, qui lucem fugientes per noctem tumultuarentur.

§. 7. De hisce materialibus dæmonibus ita sentiebant.

I. *Quod, quamvis omnes odio erga Deos & homines flagrarent, alii tamen aliis sint peiores ac aliis potentiores.*

II. *Quod tres priores horum dæmonum species non minima imaginandi vi, licet in diverso gradu, gaudeant, proinde arte hominum mentes subeant & ad impios quosve effectus impellant, sc. (1) stolidi & impia consilia suggerendo, (2) voluptatum memoriam refricando, (3) affectuum irregularium idola tam in vigilantibus quam dormientibus excitando, (4) membra ventri subjecta titillationibus demulciendo & in illegitimos amores succendendo. Hacce omnia clanculum ab iis effici statuebant, ita ut ne sentiamus quidem, unde provenerint illæ impressiones.*

III. *Quod reliqua horum dæmonum species sint obtusiores, & ex his lucifugi non solum instar brutorum rudes & muti, sed etiam præ aliis perniciosi, siquidem non illusionibus ut priores noceant, verum tanquam ferocissima bellua in hominum perniciem ruant, scilicet (1) aquei procellas excitent ac navigantes suffocent, (2) subterranei ac lucifugi viscera hominum oc-*

A 3 - 67 -

cupent, phreneses variosque morbos producant, ac nonnunquam aqua, igne & præcipitio perimant.

IV. Quod, si demon hominis corpus irruens, sit ex genere subterraneorum, ille hominem obsessum concutiat, distorqueat & per eum loquatur, utendo obsessi anima tanquam proprio instrumento. Si quis autem eorum, qui lucifugi dicuntur, clam corpus hominis irreperit, ille remissionem membrorum inducat, vocem reprimat, ac obsessum mortuo similem reddat. Hunc effectum dependere credebant a frigida & irrationali horum spirituum natura; proinde hoc genus mutum & surdum adpellarunt, non nisi divina potentia expellendum.

V. Quod demones in varias animalium formas aut aliorum corporum figuras se transformare possint; hoc tamen cum discrimine, ut illi demones, qui in humidis locis ordinario degunt, vi&tuque molliori utuntur, sæpius in aves & feminas, quotquot autem in locis aridis ac inhospitis vivunt, in canes, leones ac viros se transformant.

VI. Quod nonnulli demonum materialium vasis spermaticis & vitalibus instructi emittant sperma, ac vermes illo spermate procreent, quinimo excrementi quicquam ejiciant.

VII. Quod demones materiales vel in magno gradu sint audaces vel timidi. Hinc demones timidi comminationibus ac abjuratationibus incantatorum possint facile cicurari, quod difficilius procedat contra audaces.

§. 8. Deinde Chaldæi sibi imaginabantur, quod per ritus, ut vocabant, *theurgicos*, (utpote certarum *vocum murruratione*, *ridiculis membrorum gestibus ac pulsibus*, *characterum mirabilium efformatione*, *artificiosisque fumigiis &c.*) boni daemones ex ordinaria sua sede possint elici, mali vero a nobis averruncari. Hanc evocandi & conjurandi daemones artem adhuc nostris temporibus male feriat homines profiteri, ac scriptis edocere haut erubescunt. Vid. *Hist. Phil. Part. III. c. IV. §. 7.*

§. 9. Ex hac Chaldæorum de spiritibus hypothesis fundamentum desumi solet pro demonstranda *Genethliologia*, in qua astrologi docere volunt, quænam *vel corporis, vel animi, vel fortune bona natis debeant contingere, ac ex quibus signis possint præcognosci.* etenim credunt, spirituum, qui in firmamento habitant, ac in planetas dominium exercent, quosque recentiores *olympicos* s. *astrales* vocant, officium in eo consistere, ut *decernant fata ac fatales casus administrent*, quatenus id Deus approbaverit & permiserit, ita ut ex eorum influxu hominibus progenitis non solum *bona* sed etiam *mala* sint *fatalia*, nisi homines pietati & sapientiæ unice studentes ope præpotentiorum spirituum fata sinistra vincant. Cum autem homines sub diversis constellationibus & cœli aspectibus nascantur, in causa esse credunt, ut diversa sortiantur fata, uti patet ex sequentibus Astrologorum versiculis.

- ♄ { Si quis nascatur, dum Saturnus dominatur,
Audax, urbanus, malus, antiquus, fur, avarus.
- ♃ { Jup. facit audacem, letum, pulcrumq, tenacem,
Mitem, jucundum, verecundum seu generosum.
- ♂ { Estq, loquax, mendax, latro, Mars, fur, spoliator,
(Fallax, instabilis, grossus, rubeique coloris.
- ☉ { Natum quē genuit Sol, prudens hicq, loquax est,
(Est tristis, pulcher, verax & religiosus.
- ♀ { Alma Venus gratos, jucundos atque venustos,
(Pallentes, mites nos reddit, pectore fidos.
- ♁ { Est bene barbatus sub Mercurio generatus,
(Subtilis, verax, gracilis, nec non sapiens est.
- ♃ { Lunacreat natum fortem, magnum, coloratum,
(In vultu rubeum, justum, castum, vagabundum.

§. 10. Præter Chaldæos etiam Pythagorei
haut pauca de spiritibus tradiderunt, inprimis
tres intelligibilium species credebant, sc. *divos*,
dæmones ac *heroës*. Huic ultimo spirituum ge-
neri datum esse voluerunt, ut munia ad hanc
terram pertinentia obeant, & ab his etiam so-
mnia & signa, morbos ac *sanitatem* hominibus
immitti arbitrabantur.

§. 11. Et Platonici trium generum spiritus
statuebant, qui ex magna mundi anima quasi
emanaverint. Hos esse pro diversitate *locorum*
& *vehiculorum*, cum quibus sint conjuncti, vel
æthereos, quos & *divos* vocitabant, vel *æreos*,
quos appellabant *dæmones*, vel *terrestres*, utpo-
te sunt animæ hominum.

§. 12. Ex hoc supposito a variis scholæ Pla-
tonicæ sectatoribus variæ sunt stabilitæ theses.

1. Quod

1. *Quod spiritus ætherei sint sanctissimi, ideoque in beatissimo versentur statu.*
2. *Quod spiritus aërei sint vel boni vel mali, ac proinde vel in felici vel infelici statu.*
3. *Quod animæ humanæ relicto hoc corpore fiant dæmones, nisi heroicis virtutibus sint præditæ, quo factò statim spiritibus æthereis associantur. Hinc statuebant, animam corpore humano circumdatam non magis differre a dæmone aëreo, quam gladium vagina tectum a nudo, animamque esse genium in corpore, genium autem animam extra corpus terrestre.*
4. *Quod spiritus ætherei sint primarii S. Numinis ministri in gubernando ac conservando mundo, a quibus etiam dependeat cœlestis in corpora terrestria influxus.*
5. *Quod dæmones aërei sint secundarii Dei ministri, quibus utatur vel ad juvandos vel ad puniendos homines.*
6. *Quod dæmones aërei inter se habeant politias, & non solum certo regimini sint subjecti, sed etiam in gentes & provincias diversas sint dispersi.*
7. *Quod in his dæmonum politis locus sit pœnarum ac præmiorum, quodque cava subterranea & montes ignivomi pro barathris usurpentur, in quibus maligni dæmones pœnas luant.*
8. *Quod per hocce regimen homines a dæmonum aereorum injuriis præstentur immunes, nisi specialem homines vexandi facultatem acceperint, aut nos ipsi temere ac imprudenter commercium cum iis instituamus, vel cum iis fœderati aliis per eos noceamus.*

9. Quod daemones aërei maligni ad meliorem frugem, si velint, possint venire, boni autem se indies ita perficere, ut digni fiant, qui numero aethereorum associentur.
10. Quod dæmonum aëreorum naturalis forma sit orbicularis, ad quam tamen servandam non sint determinati, sed eam ex data occasione ad imaginationis suæ ductum mutare possint in figuram vel hominis vel bestiae.
11. Quod dæmones aërei possint ex conspissato aere corpus ad tempus efficere, ac in illo apparere.
12. Quod apparitiones & praelia militum in nubibus fiant a spiritibus aereis, qui aerem pro lubitu ita figurare possint.
13. Quod corpora demonū apparentium sint nobis tactu frigida, inde esse, quia sunt nil aliud quam aer congelatus, qui vario motu destitutus non possit non sensationem frigoris in nobis excitare.
14. Quod animæ humanæ ad breve tempus in vehiculo terrestri, per multa vero secula in vehiculo aereo, sed aeternum in vehiculo aethereo habitent.
15. Quod anima corpus per mortem relinquens, aëreum vehiculum induens, retineat memoriam & conscientiam rerum ante actarum.
16. Quod anima a corpore separata & daemones facta, si sint bona, feliciorum, si sint mala, infeliciores statum, quam in terra habuerunt, obtineant.
17. Quod animæ defunctorum, uti alii daemones, vel per somnia, vel per claram visionem hominibus saepe appareant.
18. Quod

18. *Quod apparitiones, formam & personam defunctorum gerentes, sint revera eorum anima.*

§. 13. Quærit Henricus Morus, qui fiat, quare spiritus in primis boni hodie tam raro appareant? & respondet, id fieri, vel ob præsentis seculi improbitatem, vel ob generale hominum præjudicium, quasi omnes spiritus apparentes sint cacodæmones, vel ob naturæ humanæ fragilitatem, quæ spirituum apparitiones ægre ferat.

§. 14. Prioribus Platoniorum hypothesibus addi solet illa de *geniis tutelaribus*. Pythagorei quoque credebant, a nativitate cuilibet hominum assignatum esse genium *bonum & malum*, quorum ille ad bonum, hic ad malum hominem incitet. Idem & *Mahumedani* statuunt, addentes, eos hominum humeris insidere cum codicillis in manibus, alterumque omnia hominis bona opera, alterum vero cuncta ejus male facta scriptis consignare. Sed *Henricus Morus* sibi cum ratione persuadet, peculiarem genium bonum haud dari, nisi sit homo admodum *sincerus & bonus*, nec spiritum malignum impio assistere, nisi summum nequitia gradum sibi contraxerit, ceteros communi providentiæ relinqui.

§. 15. *Carolus Fabri* cuilibet genti ac principatui assignat peculiarem genium tutelarem, quorum unus præ altero fortior sit ac sagacior. Hinc fieri, ut genium unius regni contra genium alterius decertet, quæ & causa sit *mutationis ac conformationis regni in monarchiam, at-*

B₂

que

que iterum monarchia illius dissolutionis ac translationis in alterius gubernationem. Quinimo dictus Auctor eousque procedit, ut nomina illorum angelorum tutelarium, qui sint praesides electoratum Germaniae, indicare haut erubescat. Sic Moguntino *Michaellem*, Trevirensi *Gabrielem*, Coloniensi *Raphaelem*, Palatino *Ulrielem*, Saxoni *Scealtielem*, Brandenburgico *Jehudielem*, Regi Bohemiae *Ferechielem* ridicule attribuit.

§. 16. His ex historia philosophica praemissis, progredimur ad ipsam rei tractationem, in qua, relictis hominum phantasiis, naturam spiritus creati in genere & speciebus, quantum quidem rationis lumen permittit, accuratius considerabimus. Constituimus autem duas partes,

1. *Generalem*, in qua naturam spiritus creati in genere contemplamur.
2. *Specialem*, quae modo tres spirituum creatorum species considerat, & quidem in Ima sectione *naturas plasticas*, in IIda sectione *animas brutorum*, in IIItia sectione *mentes hominum*.

PARS GENERALIS

De Natura & proprietatibus spiritus creati in genere.

§. 1.

Per spiritum creatum intelligo substantiam vivam, quibus verbis breviter illius congruentia simulque disconvenientia ab aliis rebus omnibus sistitur.

- §. 2. Convenit spiritus in eo cum aliis rebus,

bus, quod fit *substantia* i. e. ens per se subsistens, quodque suarum proprietatum est causa. Vid. *Metaphys. Part. Spec. c. I. §. 1.*

§. 3. In eo autem, quod spiritus sit *subjectum* cui insit *vita*, differt a rebus sibi oppositis materialibus, quæ vocantur *corpora*. Uti enim *corpora* sunt entia *determinate extensa, inactiva, solida & divisibilia*, sic e contrario spiritus est ens *indeterminate extensum, activum, indivisibile*, quodque proinde *sue operationis conscium* esse potest.

§. 4. Ejusmodi *activitas intrinseca* sive facultas agendi in se & ex se græcis vocatur *αυτακινησια*, ac magnopere differt a *motu locali corporum*, quippe qui *ab extra* venit, & in quo corpora non *active* sed potius *passive* se habent.

§. 5. Plenior itaque *spiritus* definitio esse poterit, quod sit *substantia activa, indiscerpibilis, cogitans*, cum facultate *penetrandi, movendi & alterandi materiam prædita*.

§. 6. Ex modo dictis apparet primo, quod *natura spiritus non minus intelligi possit, quam natura corporis*, siquidem eadem facilitate, qua concipio corporis *determinatam extensionem, soliditatem & divisibilitatem*, etiam de spiritus *activitate, vi penetrandi & cogitandi ac indivisibilitate* conceptus formare possum.

§. 7. Errat itaque *Hobbeseus*, quando notionem spiritus s. substantiæ incorporeæ absurdam plane esse & meram repugnantiam statuit. ita enim in *Leviat. c. 14. substantia*, inquit, *incorporea voces sunt, quæ simul junctæ se mutuo destruant, quasi quis diceret corpus incorporeum.*

§. 8. Porro ex antecedentibus patet, naturam spiritus communiter vel *obscure* vel *inadequate* describi. etenim *Scholastici* spiritum definiunt per *substantiam ratione essentia & existentia immaterialem*, quibus verbis potius quid non sit, quam quid sit spiritus indicatur. *Cartesianis* autem spiritus vocatur *substantia cogitans*, quod tamen attributum, in primis stricte sumtum, essentiam spiritus non exhaurit. etenim cum defendi nequeat, omnes res produci vel *fortuito*, vel secundum *pure mechanicum materiae motum*, nec verosimile sit, *Deum omnia efficere immediate & miraculose*, non possumus non spiritibus creatis præter vim cogitandi, *efficaciam* quoque *movendi & penetrandi materiam*, attribuere.

§. 9. Et hoc ipsum bene observandum quoque in controversiis de *spectris, magia ac obfessione diabolica*, in quibus, cum sint duo momenta bene distinguenda, videl. eorum *possibilitas & actualitas*, facile primum momentum, *an nempe possint esse spectra, &c.* ex modo dictis demonstrari poterit. Quod si enim spiritibus creatis vis movendi & modificandi materiam competat, simul concedendum erit, *existentiam spectrorum &c.* esse ad minimum naturaliter possibilem, quod ipsum tamen *Balth. Beckerus* in libr. *De Betoverde Weereld* negare ausus est, dum essentiam spiritus in sola *cogitatione* consistere falso arbitratur. Secundum autem momentum videl. *an actu sint spectra &c.* experientia demum optime determinabit. Hæc sane innumerabilibus

libus exemplis illud probat, ex quibus, quamvis plurima, non tamen omnia rejicere citra temeritatem licebit.

§. 10. In specie autem circa *existentiam spectrorum* omnium optime mihi judicasse videtur *Pufendorffius* in epistola ex Suecia ad amicos in Germania. *Quod spectra, inquit, peculiarem fidei articulum constituent nunquam audiui, super quibus, si quis me ad inquisitionem trahat, ita respondeo: nunquam spectrum vidi, nec ut videam cupio, ab imperitis hominibus multa nocturno metu aut illusionibus aliorum fingi puto, omnibus promiscue fidem detrahere, temerarium censeo.*

§. 11. Porro circa *magiam* bene notandum censeo, quod, quamvis per modo dicta lubenter concedamus, dari revera *magos & sagas*, scienter pactum cum demone maligno ineuntes, ad infligendum hominibus damnum, hoc tamen simul nobis confitendum erit, dari haud paucas *aniculas & delirantes feminas*, quae phantasia deceptae, se *sagas* esse credunt, cum tamen non sint.

§. 12. Nec hoc dissimulari potest, quod indicia, ex quibus communiter crimen *magiae* alicui imputandum censetur, sint perquam fallacia, uti rerum vel mediocriter gnarus facile intelliget, si modo sub rationis examen vocet, quae afferri solent, qualia sunt

1. *Si saga convicta in equuleo vel sponte confiteatur se Scamproniam vidisse in monte Brueterorum, ibique interfuisse choreis ac epulis diabolicis.*

2. *Si Saga aut alii confiteantur de quadam perso-*

ura

- na, quod viderint illam in lupum, canem, felem
 &c. esse mutatam.
3. Si inquisita confiteatur, se ipsam cum Satana
 concubuisse, ac actus venereos exercuisse.
 4. Si vetula minas aliquot de damno inferendo e-
 ruet averit, & postea pluvia, tonitrua, aut venti
 sint orti, vel foruito damna sint illata pascenti-
 bus jumentis, ac aliis rebus.
 5. Si vetula in equuleo cruciata lacrymas fund-
 dere nequeat.
 6. Si stigma aut alia nota in corpore alicujus de-
 prehendantur.
 7. Si probari possit, inquisitam saepe per integrum
 biduum obdormivisse ac decubuisse, qualis pro-
 fundus somnus ex immoderata in conventibus
 diabolicis saltatione oriatur.
 8. Si vulnera ac plagae corpori alicujus infligan-
 tur incerto auctore.
 9. Si inquisita aqua injecta non mergatur, sed su-
 pernataet.
 10. Si insolita pediculorum aut insectarum copia
 in domum Sempronii ab inquisita sit introducta.
 11. Si quis vel quae convincatur ligaturae magicae,
 ac inde conjuges reddantur impotentes.
 12. Si equuleo subjecta sensum doloris nullum ha-
 beat, ac in somnum delabatur.

§. 14. Cum itaque haec facile fallere pos-
 sint, christianus ac prudens judex conscientiae
 magis consulat, si ob magiam suspectis non
 prius poenam capitis infligat, quam simul de
 damno aliis illato certissime constet.

§. 14. Denique circa *obsessionem diabolicam* cavendum est sedulo, *ne nos decipi patiamur hominum astutia*, qui *obsessionem* simulant, & arte ejusmodi effectus producunt, quos simplices & superstitiosi facile Diabolo attribuunt. Porro sollicite inquirendum erit, *annon phaenomena circa ejusmodi patientem occurrentia ex naturalibus causis, sc. humorum in corpore perversitate, horumque irregulari motu sint derivanda*; siquidem non pauca prostant exempla eorum, quos vulgus pro vere obsessis reputavit, qui tamen vel fuerunt impostores, vel naturali morbo laborarunt.

§. 15. Inter signa autem diabolicæ *obsessionis* referuntur

1. *Abditarum rerum notitia, & prædictio futurorum vel ejusmodi factorum*, quæ in procul disitis locis geruntur.
2. *Scientia linguarum peregrinarum*, de quibus fani ne fando quidem audiverunt.
3. *Potentia præternaturalis*, qua perficiuntur operæ, vires humanas longe superantes. Quod si hæc tria signa inprimis conjunctim reperiuntur, non leve *obsessionis corporalis* indicium præbent. Illi vero suam superstitionem & simplicitatem produnt, qui (1) ex *horrenda vociferatione*, (2) *Dei blasphematione*, (3) *gestuum deformatione*, (4) *inhumana commessatione*, (5) *artuum excruciatione*, (6) *admiranda corporum motione* (7) *rerum gestarum oblivione* &c. *obsessionem diabolicam* probare satagunt.

PARS SPECIALIS

De spiritibus creatis in specie.

§. 1.

Quemadmodum corpora respectu diversarum, quibus prædita sunt, qualitatum sunt varia; sic etiam ab eruditis hic locorum *tres* inprimis *spirituum creatorum* numerantur *species*, pro triplici vitæ gradu differentes, ita ut *infima* spirituum speciei vim materiam penetrando modificandi, *media*, vim motum materiæ sibi junctæ sentiendi, & *suprema* præterea quoque vim ratiocinandi attribuant.

§. 2. Hæc hypothesis nil contradictorii in se continet. si enim divina potentia indefinita rerum corporearum genera produxit, quid obstat, quominus rerum immaterialium species sint variae, ita quidem ut intrinseca activitas, quæ spiritus essentiam sistit, se exerat vel *simpliciter vegetando materiam*, vel *vegetando & sentiendo simul*, vel *sentiendo & ratiocinando*.

§. 3. Atque ita spiritum distinguimus in *plasticum*, *sensitivum* & *rationalem*. In illo est tantum *intellectus passivus*, qui ideas solum recipit & secundum eas agit. In isto reperitur quoque *memoria* & *phantasia*. Huic denique præter *memoriam* & *phantasiam* inest *judicium*, de quibus singulis in specialibus sectionibus jam agendum erit.

SECTIO I.

De naturis plasticis.

Spiritus infimi gradus Dn. Coudwortho in *systemate intellectuali* vocatur *plasticus* s. *natura formatrix*,

TRA 9

trix, quam definit per *ens vivum, gaudens facultate materiam ad normam a S. Numine præscriptam modificandi*, ita ut *partim arte humana inferior* sit, dum agit necessario & ob certum finem, quem tamen haut intelligit, *partim arte humana superior*. hæc enim *extrinsecus* modo agit, materiamque penetrare nequit, & porro *multis instrumentis*, quibus formam imprimat materiæ, indiget; natura autem plastica *intrinsecus* agit, materiam *immediate penetrando, sine instrumentis, sine deliberatione, absque strepitu, modo abscondito, facili, magico, sympathetico*.

§. 2. Dari autem naturas plasticas inde probat, quia alias asserendum esset, omnes res generari ac conservari vel *motu fortuito materiae*, quod Epicurus olim affirmasse creditur; vel *motu mechanico materiae*, cui Deus certam motus portionem, quam illibatam servat, initio indidit, uti Cartesiani putant; vel *immediato Dei influxu*, quemadmodum Joh. Christ. Sturmius sibi persuadet. *Illud plane absurdum esse dicit. Istud ideo rejicit, quoniam artificiosissima tot animalium ac plantarum corpora inde explicari & derivari nequeant. Hoc denique improbat tanquam rem majestati divinæ minus congruam, nec vero similem ideo, quoniam id, quod movet, in conatibus suis aliquando intricetur, eaque agat, quæ proposito fini repugnant, uti inter alia appareat ex monstris. Ergo concludit Auctor, cum summa probabilitate admittendam esse naturam plasticam, ceu instrumentum exsequens ordinem providentiæ in eo, quod motum materiæ regularem spectat.* §. 3.

§. 3. Physicæ corpuscularis patroni asserunt quidem, *generationem non esse nisi illarum rerum omnium, initio creationis implicite, in granulis ac ovulis attamen actualiter productarum, ulteriorem quasi explicationem mechanice factam.* Et ut hanc suam hypothesein stabiliant, defendunt, *ovula & granula omnium ad finem mundi generandorum animalium ac plantarum in ovariiis ac involucris primitus creatorum animalium ac plantarum fuisse inclusa.* At vero, quia in Sodomia & concubitu diversarum specierum foetus de utraque specie participant, illorum opinio parum probabilis videtur.

§. 4. Plurimas autem Coudworthus statuit naturas plasticas & quidem

I. *Naturam plasticam universalem* nostro globo terraqueo inhabitantem, quæ omnium *mineralium, piscium & vegetabilium* generationem in suis speciebus promoveat.

II. *Tot naturas plasticas*, quot sunt animalia perfectiora. Ubi tamen arbitratur, nil contradictorii admittere eum, qui omnes has naturas plasticas subjiciat *spiritui universalissimo & intelligenti*, qui sit *totius mundi preses & universale S. Numinis instrumentum.*

§. 5. Alii tantummodo *unum terræ spiritum* admittunt, cui assignant illam potentiam, ut pro materiae conditione varia diversimode etiam agat. Hunc *Joh. Amos Comenius* in *Synop. Phys.* vocat *naturalem*, quatenus plantas, *animalem*, quatenus animalia progenerat. *Paracelsus* autem naturæ spiri-

spiritum, quatenus in hoc vel illo corpore operatur, *archæum* vocant, & ita *unum spiritum* terræ præsidem, *multos* vero *archæos* admittunt, quos tanquam *αποσπασματα* magni illius naturæ spiritus considerant.

§. 6. Reliqua huc pertinentia jam tractavimus in *Hist. Phil. Part. III. Memb. II. cap. IV. §. III. & IV.* ubi variorum Pneumatocosmicorum scripta & hypotheses traduntur.

SECTIO II.

De animabus brutorum.

§. 1.

Ad mediam spirituum creatorum speciem referuntur *animæ brutorum*, quas definimus per *substantias vivas sentiendi facultate i. e. vel memoria vel etiam phantasia* præditas. Alias de his duæ extremæ reperiuntur sententiæ.

§. 2. Altera est eorum, qui cum nonnullis *vetorum & recentiorum* philosophis animabus brutorum *ratiocinandi vim* attribuunt, proindeque in determinando hominis a bruto discrimine illius definitioni addendum arbitrantur, quod sit *animal rationale religiosum*.

§. 3. Enim vero se ipsos decipiunt, dum *sensualem phantasiam* (per quam bruta circa res corporeas, a sensibus perceptas, *diversimode & cum discrimine* agere videntur, utpote cum *bruta utilia appetunt & nociva fugiunt*, cum *canis ad minas vel blandimenta Domini tristatur aut letatur*, *variasque artes addiscere pollet*, cum *aves artificiose nidos suos struunt*, cum *psittaci humanos sermo-*

nes imitantur &c.) confundunt cum ratione, quæ longe ulterius procedit, sc. (1) rerum qualitates & quantitates accuratius componendo ac dividendo, (2) a singularibus abstrahendo, (3) res immateriales cognoscendo, &c.

§. 4. Objicit quidem Dn. de la Chambre in lib. de *cognitione brutorum*, quod *bruta etiam animi discursus* faciant. Sic equo sequens *rationocinium* adtribuit: *Dieses Brüne ist Graß, alles Graß ist gut zu essen; Ergo so ist dieses Brüne gut zu essen.* Sed equi motus ad comedendum citra prævium *rationocinium* fieri potest quasi per saltum, dum nimirum objecta sensus, hi vero appetitum incitent, quem statim motus membrorum ad comedendum sequantur.

§. 5. In alterum extremum tendunt *Cartesiani*, statuentes, *bruta gaudere natura mere corporea*, ita ut sine ulla sensatione eorum motus a solo *spirituum animalium influxu & debita organorum compositione* dependeant, ac ad instar *automati* mechanice peragantur. Hinc ridicule sibi persuadent, *bruta sine voluptate comedere, sine dolore clamare, sine sensu noxia evitare & grata appetere.*

§. 6. Hanc hypothesein inpr. *Antonius le Grand* in libro de *Carentia sensuum in brutis*, ac *P. Malebranchius* in libr. de *Inquirenda veritate* partim ex nonnullis S. Scripturæ locis, videlicet Gen. IX. 4. Lev. XVII. 11. Deut. XII. 23. partim ex sequentibus rationibus stabilire volunt.

I. Quod, si *brutis vera sensatio* adscribatur, simul *cogitatio eis attribui* debeat, quandoquidem illa si-

ne hac intelligi nequeat, posita autem hac, brutorum anima immateriales essent. Resp. ea omnia nil absurdi involvunt, lubenter enim concedimus, simplicem cogitationem brutis competere, quam necessario includat sensatio, hanc autem requirere subjectum vivum, ac immateriale, cui insit, necesse est.

II. Quod anima brutorum, si credantur immateriales, essent incorruptibiles. Resp. posito, illas post interitum bruti supermanere, usque dum in aliud corpus ingrediantur, quid inde? sufficit Deum, quem credunt tandem mundum materialem annihilaturum, vi ejusdem potentiae & spiritus plasticos ac animas brutorum ad nihilum reducere posse.

III. Quod, si bruta dolorem sentirent, statuendum esset, eadem peccasse, cum dolor sit naturalis peccati poena. Resp. falsum est, sensum doloris esse sequelam peccati, rectius character mali naturalis habetur, animalibus ex beneficio creatoris in conservationem inditus, uti ostendimus in *Ethica c. 2 §. 4. 6.*

IV. Quod, si bruta dolore afficerentur, non sine nota crudelitatis occidi possent. Resp. quamdiu homines in necandis brutis observant finem, propter quem Deus id iis secundum ductum rationis ac revelationis concessit, versantur in relicta, quamque jure facere possunt. Id autem, quod jure fieri potest, in vitium imputari nequit, quandoquidem omne crimen juris violationem involvat.

V. Quan-

V. Quando denique omnia circa bruta, que occurrunt, phenomena eorumque inpr. actiones mechanice explicare tentant, rem plane impossibilem aggrediuntur, prout eventus docuit, dum adhuc nemo Cartesianorum repertus sit, qui id cum quadam verosimilitudinis specie præstiterit.

§. 7. Mediam viam hic incedunt *Pneumato-cosmici*, qui rejecto Cartesianorum mechanismo insufficiente, & denegata brutis ratiocinandi facultate superflua, eis attribuunt *principium immateriale*, cui tamen, ut diximus, præter vim *agendi, sentiendi & imaginandi* nil amplius insit. Differunt tamen in eo, quod nonnulli *unam* tantum in omnibus brutis admittant *animam immaterialem*, quæ non solum omnia animantia in suis speciebus producat, sed etiam pro diversitate brutorum varias operationes edere sit apta, ita ut in *aranea telam nectat*, in *hirundine nidum exstruat*, in *cane feras insectetur* &c.

§. 8. Aliis vero impossibile videtur, ab uno spiritu tot contrarias recipi sensationes, & quin confundatur, tot diversas peragi posse operationes, ideo *cuiilibet bruto imprimis perfectiori assignant peculiarem animam*, vegetandi, sentiendi & imaginandi facultate instructam.

§. 9. Per modo descriptas animas bruta *sensuales res percipere & quodammodo imaginari*, porro ex iis, *quæ titillationem excitant*, appetere, quæ vero *doloris sensum incutiunt*, effugere pollent. Et quoniam in diversis animalium speciebus, diversa
&

& præ aliis purior succi nervei ac cerebri constitutio deprehenditur, accidit, ut *animarum vis se etiam diversimode exerat*. Quemadmodum videmus, *canem, sineam, vulpem, elephantem, castorem, &c.* majori promptitudine & discretione phantasticas actiones *vel naturaliter edere, vel ad illas edendas arte assuefieri posse, quam porcum, asinum, aut bovem.*

SECTIO III.

De mentibus humanis.

§. 1.

Progredimur demum ad tertiam spirituum creatorum, materiaeque hujus orbis unitorum speciem, videl. ad *mentes humanas*. Dico *mentes*, idque non sine causa, ut sc. rejiciatur impia quorundam opinio, qua *unam omnium hominum mentem, pro materiae differentia in diversis corporibus diversimode agentem* arbitrantur. Huic sententiae præter *Hirnheimium* in *Typho generis humani*, etiam favere videtur *Comenius* l. c. c. XI. §. 1. Sed resp. si unica esset omnium hominum mens, quæ simul omnia corpora humana actuet, tum quicquid *doloris, voluptatis & speculationis* in unoquoque homine insit, idem futurum esse in omnibus. Ne dicam de illo absurdo, quod sic quilibet homo per mortem amittat suam *personalitatem*, proindeque nec præmiis nec pœnis affici possit, quo nil impius cogitari potest.

§. 2. *Mens autem humana nobis definitur substantia viva, facultate ratiocinandi prædita.* His verbis breviter illius *convenientia* cum reliquis spiritibus, simulque *differentia* ab iisdem sistitur.

D

§. 3.

§. 3. Convenit mens humana cum aliis rebus creatis,

1. quod sit *substantia*, siquidem, cum *vita, sensatio, cogitatio* &c. sint mentis modi, qui per se existere nequeunt, necesse erit, ut sit *subjectum*, unde dictæ proprietates fluant, & in quo recipiantur, quale *subjectum* a nobis vocari *substantiam* jam diximus supra Part. Gen. §. 2.
2. quod sit *viva sive immaterialis*, prouti plenius demonstrabimus in capite sequente. Differt autem in eo ab aliis spiritibus, quod gaudeat *rationalitate*, de qua mentis facultate essentiali plenius in sequentibus itidem præcipiemus.

§. 4. Ex dicta mentis humanæ definitione ceu ex conceptu primo fluunt omnes reliquæ mentis nostræ *proprietates*, quæ ipsi *vel in se spectatæ, vel ob unionem cum corpore* competunt.

CAP. I.

De mentis humanæ *in se spectatæ* proprietatibus.

§. 1.

Quoniam, ut dixi, mentis proprietates eidem competunt, *vel quatenus in se spectatur ceu spiritus peculiaris, vel quatenus in & per corpus operatur*, lex ordinis justi exigit, ut prius *illas distincte consideremus, & demum has subjiciamus.*

MEMBRUM I.

De mentis *spiritualitate.*

§. 1.

Quod hominum mentes sint *substantia spirituales & incorporeæ i. e. subjecta*, quæ plane di-
ver-

versam a corpore habent essentiam, generaliter probatur inde, quia sc. *mentes nostra essentialiter diversis, imo contrariis, a corpore gaudent proprietatibus*, ex quibus merito ad diversitatem essentialium concludimus; etenim non alius argumentandi modus pro demonstranda rerum essentiali differentia nobis superest.

§. 2. Quando nonnulli objiciunt, *nos non nisi sub specie corporali mentem concipere posse*, ab imaginatione se decipi patiuntur, stolide arbitranes, id, quod non ut durum, densum, coloratum & figuratum possit concipi, pro nihilo habendum esse, cum tamen proprietates mentis, utpote *cogitatio, dubitatio, iudicium, appetitio &c.* æque reales sint & æque evidenter, quam proprietates corporis, intelligi possint.

§. 3. Ut autem nostra argumentatio pro demonstranda mentis humanæ spiritualitate clarius pateat, proprietates mentis ac corporis invicem specialius erunt comparandæ.

I. *Corpus est ens mere passivum & activitatis per se expers*, si enim esset ens se ipsum movens, ratio dari haut posset, quare pars una materiæ minus quam altera per se moveretur; at *mentem nostram esse ens, intrinseca activitate gaudens, ex interno sensu & conscientia novimus*. Ergo mens & corpus differunt *essentialiter*, subjectum enim activum contradistinctum esse subjecto passivo per se patet.

II. *Corpus, quia est ens mere passivum, etiam sensationis & cogitationis expers est, has autem menti*

nostra inesse, ex interna conscientia denuo novimus. Ergo mens & corpus essentialiter differunt. Putat quidem Hobbesius ac Spinoza, ex reflexivo materiae motu i. e. reactione partium materiae aliarum in alias sensationem & cogitationem derivari posse; sed Resp. sic statuendum esset, ignem sentire ac cogitare. Sane impossibile videtur, quod ex particularum etiam subtilissimarum motu reflexivo ejusmodi simplicissima sensationes ac ideae, quales sunt dolor, voluptas, cogitatio &c. formari possint.

III. *Corpus est solidum & ex spatio, in quo est, omnia alia corpora excludit, spiritus autem omnia corpora penetrat. Ergo cum ratione concludimus, mentem a corpore essentialiter esse diversam.*

IV. *Corpus est divisibile & satis minuta ejus pars in subtiliores particulas dividi potest. Ast mens nostra est ens simplex, quod in partes discerpi nequit, proindeque in ejus modis, utpote in affirmatione, negatione, dubitatione &c. nullam divisibilitatem deprehendes. Ergo mens a corpore essentialiter differt.*

V. *In summa: Ex idea corporis proprietates mentis nostrae nullo modo derivari possunt. etenim ex materiae particulis, quantumvis subtilissimis, qualitercunque figuratis, quocunque etiam celeritatis aut tarditatis gradu motis ne initium fieri potest deducendae vel simplicissima cogitationis, vel cujusdam intellectiois aut liberae voluntionis, idque ideo, quia omnis perceptio ex unitate & simplicitate subjecti percipientis fluit.*

§. 4. Hæc omnia, qui citra præjudicium perpendit, non poterit non mentis nostræ *spiritualitatem* affirmare, ut proinde in clara luce non parum coecutiisse mihi videantur ex *antiquis & recentioribus* philosophis, qui mentem *corpoream* satis absurde sibi imaginantur. Horum argumenta sollicitè corrasit Dn. *Stofchius* in M. S. de *Concordia rationis & fidei*, in quo libro multis probare contendit, mentem hominis in *artificiosa partium cerebri fluidarum & solidarum dispositione* consistere, atque ita non substantiam a corpore diversam, sed hujus tantum modificationem esse.

§. 5. Et ex hoc fundamento Auctor octo imprimis phænomena circa mentem occurrentia demonstrare annititur (1) *quare mens puerorum ac senum sit minus potens quam eorum, qui sunt mediæ ætatis*, (2) *quare ebrii ante discussam crapulam mente ferme sint destituti*, (3) *quare morbus mentem turbare & plane dejicere possit*, (4) *quare affectibus æstuantibus mens sit impotens*, (5) *quare uno tempore aptiores & promptiores simus ad meditandum quam alio*, (6) *quare dormientes quoque cogitemus s. somniamus*, (7) *quare cessante ad tempus fluidorum circulatione, cessent quoque cogitationes, & illa restituta homo denno cogitet*, (8) *quare alter altero sit perspicacior*.

§. 6. At vero hæc omnia non necessario inferunt, mentem esse corpoream, sed id tantum demonstrant, quod mens in multis operationibus suis indigeat rite constitutis organis & rite temperatis humoribus, quibus deficientibus, quominus se de-

bito modo exerat, in causa est, quod ex decreto di-
vino sit corpori juncta, ut mediante illo res extra se
positas percipiat & prosequatur. Inde omnia alla-
ta phaenomena aequè bene quam ex impia Sto-
schii hypothese explicari possunt.

§. 8. Adhuc notandum esse censeo, quod in-
adaequatus de spiritu conceptus, quasi sit *omni ex-
tensione destitutus*, & sola gaudeat cogitandi facul-
tate, acutiores in illum errorem conjecerit, ut
mentem sibi corpoream imaginarentur, prout plu-
ribus *Joh. Rapson* in singulari epistola demonstravit.

MEMBRUM II.

De mentis rationalitate sive cogitatione
reflexiva.

§. I.

Per facultatem cogitandi intelligo *intimam illam
perceptionem & conscientiam eorum, quae mens
agit ac patitur*. Ejusmodi cogitationem voco *di-
rectam*, quam & brutorum animabus competere
supra adstruximus.

§. 2. Sed *cogitationem reflexivam* appello il-
lam mentis vim, qua mens potest, (1) *de rebus
immaterialibus sibi ideas formare*, (2) *rerum perce-
ptarum qualitates accurate componere & dividere*,
(3) *in qualitatibus causas ratiocinando inquirere*, (4)
*rerum quantarum proportionabilitatem & commen-
surabilitatem intelligere*, (5) *a singularibus abstra-
here*, & (6) *ad certum ac libere sibi propositum finem
cum mediocriter electione cogitationes suas dirigere*.
Haec menti humanae propria est, qua homines a
bestiis differunt, soletque vocari *rationalitas*.

§. 3.

§. 3. Quod autem *rationalitas* sit proprium & *essentiale mentis attributum*, s. ut cum Scholasticis loquar, *conceptus primus*, qui mentis *essentiam* primario constituat, patet inde, quia *religuae mentis proprietates ex illa fluunt, possuntque ultimato ad illam reduci*. etenim homo, dum intelligit, cogitat, dum vult, cogitat, dum sentit, cogitat, sed non vice versa.

§. 4. Quamvis in modo dictis facile conveniant Philosophi, discordant tamen in eo, an *cogitatio actualis*, an vero *potentialis* *essentiam mentis* constituat. Etenim *Cartesiani*, & ex iis inprimis Dn. *Poiret* in *Cogit. rational. libr. II. c. 3.* negat, mentem, a quo creata, unquam fuisse non-cogitantem, proinde *actualem cogitationem ad ejus essentiam pertinere, eandemque quasi ipsissimam cogitationem esse*, defendere allaborat sequentibus argumentis.

1. quod, prout corporis *essentia* non in *extensionis facultate* sed *actuali extensione* consistat, ita etiam vi *relationis* *essentia mentis* in *actuali cogitatione* sit ponenda.
2. quod, prouti ad esse ignis pertineat *actu ardere & lucere*, sic etiam ad esse mentis nostrae spectet *actu cogitare*.
3. quod, prouti *vita corporea* in *actuali humorum & membrorum motu* consistat; sic etiam *spiritalis vita* in *actuali cogitatione* sit ponenda.
4. quod experientia constat, dum vigilamus, nos *perpetuo cogitare*, proindeque probabile sit, mentem nostram *sine cogitatione nec esse, nec esse posse*.

§. 5.

§. 5. At vero *Dn. Lockius* Lib. II. de *Intell. human.* hypotesin Cartesianorum destruere conatur, ac ostendere, *mentem hominis non semper cogitare, sed ipsius essentiam in eo sitam esse, quod possit cogitare, habeatque modo cogitandi facultatem in infantia, quam in adulta ætate quidem semper exerrat, dum vigilat, minime vero cum sine insomniis dormit.* Rationes Lockii sunt.

1. *Quod actualis cogitatio sit peculiare s. Numinis attributum, de quo Scriptura testetur, quod neque dormitet neque dormiscat.* Resp. Cartesiani, Deum hanc suam perfectionem adumbrare voluisse in mente, communicando ei actualem cogitationem, ut sit via, qua ad summam Dei perfectionem quasi manuducamur.
2. *Quod, si mens semper cogitaret, ratio dari haud posset, quare ex tot infinitis cogitationibus in infantili ætate factis ne unius possit recordari, & quare, cum sine insomniis dorminus, nulla tamen cogitationum illarum supersit memoria.* Resp. Cartesiani, quod mens tum demum cogitationum suarum sit memor, cum avide, attente & diu sese rebus applicuerit, cumque utatur cerebro bene parato, firmo ac tranquillo, ut vestigia eidem impressa possint servari. Quæ omnia, quoniam non deprehendantur in infantibus & dormientibus, in causa sint, quare cogitationum non recordentur.
3. *Quod similem in modum mens sine cogitatione esse possit, quo corpus sine motu.* Resp. Cartesiani, negando consequentiam, cum motus sit

acc-

accidentalis corporis modus, sed cogitatio ad
essentiam mentis spectet.

§. 6. Sed in hac controversia illi, qui in ho-
mine præter mentem agnoscunt animam, huic
attribuunt *vitam actualem*, de mente autem de-
fendunt, quod in profundo somno ad *cogitandi*
potentiam regrediatur.

§. 7. Mentis rationalis objectum sunt *idea*.
Et quatinvis mens se ipsam propriasque cogita-
tiones & sensationes absque ideis ex *conscientia*
intima percipiat, reliquas tamen res, extra se exi-
stentes, non nisi in earum imaginibus i. e. *ideis* co-
gnoscit, cum enim e. g. *Deum, legem, montem &c.*
nobis præsentamus, earum rerum *idea* menti ob-
versantur, quæ non sunt ipsa objecta, sed objecto-
rum imagines ac simulacra. Hinc generaliter du-
plex a Logicis statuitur cognoscendi modus, videl.
(1) *cognitio per conscientiam*, (2) *cognitio per ideas*.

§. 8. Quomodo autem in mente nostra *idea*
generentur, magnopere inter se dissentiunt Phi-
losophi. Inprimis vero 4. differentes in hac con-
troversia reperiuntur opiniones.

I. *Scholastici* putant, *ideas* ab ipsis produci *objectis*,
quæ spargant *species sensiles*, unde phantasia
efficiat *phantasmata*; hæc ab intellectu agente
quasi poliri, ut fiant *species intellectuales*, &
tum demum intellectui patienti imprimi, ut
fiat *cogitatio*.

II. *Cabbaliste* arbitrantur, *summum Numen* esse
omnium hominum intellectum agentem, qui in-
tellectum nostrum e potentia sua in actum de-
E ducat,

ducatur, ita ut eo momento, quo de objecto cogitare volumus, ideas a se productas menti nostræ imprimat.

III. *Cartesiani* defendunt, ideas menti ab initio creatas esse, ut, si cogitet, e pectore suo eas depromat, quare cum *Platonicis* animam comparant cum *tabula rasa*, cui omnes rerum ideae sint quidem inscriptae, sed, dum illa corpori unita, istas ideas materialibus strigis esse obduras & quasi oblitteratas putant, ut ad earum recordationem & sensationem & informationem opus sit.

IV. *Dn. Lockius* credit, menti inditam esse facultatem ex occasione objectorum externorum, in sensibus incurrentium, ideas formandi & per reflexionem eas multiplicandi. Hinc cum *Peripateticis* animam comparat cum *tabula nuda*, in qua nullae ideae a nativitate reperiantur, sed demum per subsequentem sensationem & reflexionem inscribantur.

§. 9. Sed si dicendum quod res est, distinguendum esse censeo inter *ideas simplices* & *compositas*: illas esse innatas, inde apparet, quia necessario in nobis ad impressionem objectorum oriuntur, nec aliae, quam de rebus actu existentibus effingi possunt. Sed *compositas* ideas, quae ex comparatione simplicium, harumque varia compositione, divisione & abstractione existunt, haut innatas esse, verum potius ex facultate mentis rationali produci, statuimus ideo, quia *citra informationem & meditationem* homines omnium rerum rudes manent, nec ultra *bruta* sapiunt.

§. 10.

§. 10. Noli tamen credere, quasi patrocine-
mur opinioni eorum, qui principia nobis cum nata
tum *speculativa* tum *practica* asserunt. etenim, qui
ideas innatas esse affirmat, non statim principia
innata adstruit, cum hæc demum per idearum
comparationem nascantur, quam infantes præ-
stare nequeunt, prouti multis ostendit *Lockius de*
Intell. Hum. Libr. I. c. 2.

MEMBR. III.

De facultate mentis perceptiva ejusque
specialibus modis.

§. I.

Mens nostra rationalis in se comprehendit has
duas primarias facultates, videl. *perceptivam*
& *appetitivam*. Non tamen illæ duæ mentis fa-
cultates, tanquam *diversa entia* haberi debent, sed
tantum boni ordinis causa concipiuntur tanquam
distincti unius mentis modi.

§. 2. *Facultas perceptiva* s. *intellectus* vocatur
illa mentis vis, qua *partim* per internam conscien-
tiam sensationes & cogitationes intra se, *partim*
res extra se positas in earum ideis cognoscit. Quæ
quidem cognitio fit isto modo, ut mens nostra
primo simplices rerum ideas *concipiat*, deinde eas
conferat, ac deprehensa earum vel convenientia
vel disconvenientia libere *judicet*, i. e. eas com-
ponat vel dividat.

§. 3. Ubi notandum est, quod Cartesiani in-
tellectum pro nuda *facultate passiva*, quæ objecta
in suis ideis tantum excipit, habeant, proindeque
idearum *comparationem* & *dijudicationem* volun-

E 2

tati,

tati, utpote facultati activæ, attribuant. de hac enim statuunt, quod se moveat (1) *ad affirmandum vel negandum* sub ratione *veri vel falsi*, (2) *ad prosequendum aliquid aut fugiendum* sub ratione *boni vel mali*. At vero ex propria conscientia novimus, quod æque facultati perceptivæ quam appetitivæ actiones & passionis sint attribuendæ.

§. 4. Speciales autem facultatis perceptivæ modi, menti in se consideratae competentes, sunt duæ, sc. (1) *intelligentia*, & (2) *judicium*.

§. 5. I. *Intelligentia* est, qua mens per purissimas ideas res immateriales & abstractas percipit. Sic de *spiritu, lege, virtute, prudentia, obligatione* &c. sibi ideas formare potest. Eadem facultate percipit generalium propositionum sensum, videl. *contradictoria non posse stare in uno subjecto, neminem plus juris in alium transferre posse, quam ipse habet*. Hanc quidem facultatem menti denegat *Hobbesius, Spinoza*, aliique crassi philosophiæ corpuscularis sectatores, sed eorum absurditas facile refelli poterit, si modo ab iis postuletur *expositio rerum abstractarum*, quam nunquam præstare possunt, quin simul confiteantur, menti inesse potentiam percipiendi res sine imagine corporea.

§. 6. II. *Judicium* est illa mentis potentia, qua ideas inter se collatas, cognita earum *convenientia vel disconvenientia*, combinat vel separat. Pro rerum autem affirmatione vel negatione oritur in intellectu *assensus vel dissensus*. Add. *Logic, part. gener. cap. 1. §. 10.*

§. 7. His mentis proprietatibus nonnulli addunt

dunt III. *divinationem*, quæ est *præsentio futuri*, ex quadam animi concitatione fluens, & sæpe dormientibus, moribundis & magna imaginandi vi præditis contingens. Ubi Auctor observ. Von den verlohrenen Philosophischen Wissenschaften inter exempla eorum, qui vi sua imaginativa futura prædixerunt, refert Gregorium Taumaturgum, Episcopum Malachiam, Hieron. Savanorolam, Joh. Husium, Hieronymum Pragensem, Mart. Lutherum, Nostradamum, Campanellam &c.

MEMBRUM IV.

De facultate mentis appetitiva ejusque specialibus modis.

§. I.

Facultas appetitiva s. voluntas est illa mentis vis, per quam velut intrinseco impulsu libere se movet, & ad id, quod intellectus bonum judicat, semet applicat, mala omnia averfatur & fugit. Quemadmodum autem intellectus primum objectum est *verum*, sic facultatis appetitivæ objectum erit *bonum*, quare voluntas aliis *boniformis* vocari solet.

§. 2. Speciales voluntatis modi, qui menti in se considerata competunt sunt in primis duo, videl.

1. *Volitio*, qua mens prosequitur & inclinatur ad ea, quæ intellectus bona judicat.
2. *Averfatio*, qua mens declinat ea, quæ intellectus mala judicat.

§. 3. Fundamentum autem, quare voluntas his sibi contrariis modis se exerat, positum est in eo, quod omne ens, ad hominem relatum, ei vel

conservativum s. bonum, vel *destructivum* sive malum sit, proinde sana hominis voluntas non potest non illud *velle*, hoc vero *aversari*.

§. 4. Et quoniam voluntas circa *bona* ita versatur, ut quaedam proprie adpetat *propter semet ipsa*, quaedam vero *propter alia*; ex quibus illa *fines*, hæc vero *media* appellantur: hinc varii numerantur voluntatis actus. etenim, quando voluntas circa finem versatur, ejus actus, quo eum prosequitur, dicitur *intentio*, & quo ei acquiescit, vocatur *fructio*: sed quando circa media occupatur, ejus volitio dicitur *electio*, & ejus aversatio dicitur *repudiatio*. Hi mentis actus adpellantur scholasticis *eliciti* s. *immanentes*, & contradistinguuntur *imperatis* s. *transeuntibus*.

MEMBRUM V.

De mentis libertate & habitibus.

§. 1.

Communes hætenus descriptarum mentis facultatum affectiones sunt *libertas* & *habitus*, siquidem non solum voluntati sed etiam intellectui attribuenda sit *libertas*, & non solum intellectui verum quoque voluntati *habitus* competant. etenim quilibet sibi ipsi conscius deprehendet, intellectum *eadem libertate ideas componere ac dividere, qua voluntas hoc vel illud respuit aut eligit*.

§. 2. *Libertas* nobis adpellatur *illa mentis vis, qua homo nulla vel extrinseca vel intrinseca necessitate determinatur, sed pro lubitu ad judicandum aut agendum inclinatur*. Pro diversitate autem graduum diversæ libertatis species constitui possunt,

sunt,

sunt, quarum altera *libertas indifferentia*, altera *libertas spontaneitatis* vocari solet.

I. *Libertas indifferentia* est, quando mens in unam partem non magis quam in alteram inclinat, sed indifferenter se habet erga utramque. Hæc oritur ex ignorantia & obscuritate rerum cognitarum, qua fit, ut ex duabus sententiis, inevidentibus possimus eligere quam volumus, & positis omnibus ad agendum requisitis agere ac non agere, aut æque hoc quam illud bonum eligere. Et in hac indifferentia consistit modo *infimus libertatis gradus*, quo possumus bene vel male uti, in quantum vel rationis vel phantasiæ ductum sequimur.

II. *Libertas spontaneitatis* est, quando mens quidem in unam partem magis quam in alteram inclinat, attamen citra internam necessitatem, sed potius ex deliberato consilio & plenissima allubescencia se determinat. Hic perfectior libertatis gradus oritur ex evidentia & claritate idearum perceptarum, qua fit, ut sententiam evidenter cognitam ceu veram unice amplectamur, & excellentius bonum minus excellenti præferamus.

§. 3. Per *Habitum* intelligo illam mentis vim, qua crebris intelligendi & volendi actibus acquiritur, & per quam mens facilius de re quapiam judicare, aut promptius aliquid velle potest, & sic habitus vel intellectum vel voluntatem perficiunt, quales sunt in primis tres sc.

I. *Sapientia*, quæ est habitus intellectus ex solida veri & falsi, boni & mali cognitione ortus, qua
mens

mens promte modo dicta *dijudicare*, & actionibus suis debitum *finem* præstitueret pollet. Huic opponitur *insipientia*.

II. *Prudentia*, quæ est habitus intellectus ex variarum rerum *experientia* ortus, qua mens promte *media* ad finem, a sapientia propositum, acquirendum & conservandum conducentia *invenire, seligere & adplicare* pollet. Huic opponitur *stultitia*.

III. *Virtus*, quæ est habitus voluntatis, quo quis recto de objectis iudicio voluntatem & affectus moderatur, ut ex præscripto legis *prompte* appetant verum & ultimum bonum, ac fugiant verum & sumum malum. Huic opponitur *vitium*.

§. 4. Ab habitibus mentis probe distinguendi veniunt *habitus corporis*, qui cum facilitate cogitandi conjunctam habent *facilitatem movendi corporis membra*. etenim ex frequenti spirituum animalium versus certa organa fluxu viæ per nervos rigidæ efficiuntur *magis lubricæ*, ut muscoli citius inflari, & proinde membrorum commotio promptius peragi possit.

§. 5. Notabis autem hic, quod habitus intellectualis, per membra corporis *se exerens*, vocetur *ars*; quemadmodum voluntatis habitus, per actiones externas *se prodentes*, dicantur *mores*.

CAP. II.

De mentis unione cum corpore.

§. I.

Has spiritualis naturæ mentes S. Numen corporibus, variis membris artificiosissime structis, intime

intime univit, ita ut sit *mutua actionum & passionum reciprocatio*, vi cuius mutui commercii omnia, que corpus quocunque modo afficiunt, a mente percipiuntur, & vicissim mentis inclinationes certos in corpore excitant motus.

§. 2. De modo autem unionis inter philosophos non minimus est dissensus. Nonnulli defendunt *systema influxus*, ita ut mens per spiritus animales realiter in corpus & hoc vicissim in mentem agat. Aliis probatur *systema causarum occasionalium*, vi cuius immediate Deum occasione cogitationum mentis eis convenientes in corpore motus & vice versa excitare arbitrantur. Denique Leibnizius *systema harmoniæ præstabilite* excogitavit, ita ut sine ullo influxu unius partis in alteram corpora agant, ac si nullæ dentur animæ, & hæ ac si nulla essent corpora, nihilominus tamen ambæ tam harmonice agant partes quasi una in alteram influeret.

§. 3. At vero ex primo demum systemate clarius intelligitur, (1) *quomodo cerebrum minus rite constitutum mentem in cogitationibus turbare*, (2) *medicina in mente operationes deficientes restituere possit*. Qui tres hominis partes statuunt, illi mentem immediate animæ, hanc vero corpori esse junctam defendunt, proindeque corpus realiter in animam, & hanc in mentem influere arbitrantur.

§. 4. Eruditi autem illam corporis partem, ubi mens omnes per sensus factas impressiones recipit, & unde omnibus membris imperat, vocare solent *sedem mentis regiam*, quam alii *extra caput*, alii *in capite* collocarunt.

F

§. 5.

§. 5. *Extra caput* sedem mentis constituerunt plurimi veterum Philosophorum, quibus ex recentioribus accedit *Hobbesius* in *Elem. Phil. part. IV. c. 25. art. 4.* ubi *cor* omnis sensationis originem vocat. Hæc tamen opinio non solum repugnat internæ conscientiæ, sed etiam per experimentum de ranis sumtum constat, illas, corde licet exsecto, vivere.

§. 6. Rectius itaque alii sedem mentis collocandam reputant *in capite*, utpote cui organa sensoria sunt imposita: differunt tamen in eo, quænam sc. capitis pars pro sede illius sit habenda.

§. 7. Etenim *Cartesius* tract. de *Passion. Part. I. art. 31.* pro mentis sede eligit *conarium* sive *glandulam pinealem*. Hanc autem sententiam alii rejiciunt ideo, (1) *quia illa exilius corpus, quam ut species rerum omnium, quæ animæ exhibentur, capiat,* (2) *quia externi nervi minime ad glandulam pertinent, proindeque mens objectorum sensibilium species ab iis recipere nequeat.*

§. 8. *Joh. Clericus* cum *Worthono* sedem mentis collocat in *corpore calloso*, cum probabile ipsi videatur, mentem rerum species ibi sentire, quorsum ab omnibus nervis deferri possunt. Et quoniam concurrunt in corpore calloso s. ad *caput medullæ spinalis*, locum nobiliorem ac ampliorem glandula pineali, concludit, mentis sedem regiam ibidem esse figendam.

§. 9. *Henr. Morus* tr. de *immortalitate animæ* cap. X. n. 8. & 9. pro mentis sede elegit *spiritus animales*, qui tum purissimi tum copiosissimi inveniuntur in *quarto cerebri ventriculo*, quique sint im-

me.

mediatum illius instrumentum. Qui *animam* distinguunt a *mente*, hujus sedem in *capite*, illius vero in *corde* constituunt, ita ut per sanguinem in omnes corporis musculos secundum duplices ideas (quarum alia per *semen* in concubitu, alia a mente per *spiritus animales* imprimantur) agat.

CAP. III.

De mentis humanæ corpori unitæ proprietatibus.

§. I.

Quoniam menti humanæ ea de causa, quod corpori organico ex divino decreto fuit unita, peculiare etiam competunt proprietates, quæ in spiritu puro non reperiuntur, ordo jam postulat, ut has distincte consideremus, quales commode referri possunt vel ad facultatem ejus perceptivam vel appetitivam.

MEMBR. I.

De potentiis mentis, quæ ex unione cum corpore existunt in facultate ejus perceptiva.

§. I.

In facultate perceptiva mentis corpori conjunctæ oriuntur quatuor inprimis potentia, videlicet (1) *sensatio*, (2) *imaginatio*, (3) *phantasia*, (4) *memoria*.

§. 2. *Sensatio* est, qua mens per externa corporis organa, quæ ideo vocantur *sensoria*, rerum corporearum *presentium* qualitates & quantitates percipit. etenim moto per objecta externa organo sensorio percellitur mens, sentitque corpus suum affectum. Objecta autem per sensuum organa impressa deferuntur ad *sensorium commune*.

ne. Ubi observabis, (1) quod quo distinctior vel fortior actio objecti in sensorium commune, eo distinctior vel clarior in mente idea exciterur, (2) quod, quo saepius renovatur actio objecti in sensorium commune, eo firmiter menti inhaereat idea.

§. 3. Imaginatio est, qua mens res corporeas, semel a sensibus perceptas & absentes, sibi denuo repraesentare potest. Ubi bene notandum, quod quo crassiores sunt spiritus animales, eo languidior & stupidior sit imaginatio, sed quo subtiliores iidem & quo molliores sunt nervorum fibrae in cerebro, eo vividior reddatur imaginatio.

§. 4. Phantasia est sensuale iudicium, quo mens omnes posibles compositiones & divisiones rerum sibi praesentat. Hac intellectuali iudicio corroborata producit ingenium, quod se in primis joco & fictione prodit.

§. 5. Memoria est illa mentis facultas, qua mens plures rerum ideas semel impressas non solum conservare, sed & illas rursus sibi praesentare pollet. hic ultimus actus dicitur in specie reminiscencia, qua mens in memoriam sibi revocare potest etiam illam rem, cujus ferme est oblita, si modo unicam circumstantiam adhuc novit, siquidem experientia edocemur, inter res semel in mente nostra conjunctas eum esse nexum, ut una in memoriam revocata, aliae statim succurrant.

§. 7. Memoria tamen in hominibus mirum quantum a physica cerebri constitutione dependet. etenim prout illud magis vel minus est viscosum, siccum

siccum vel *fluidum*, memoria est vel firmior vel infirmior. Et ideo memoria nostra vocatur *sensualis*, a qua distinguere solent *mentalem*, quæ tamen ab ipso iudicio non differre videtur.

§. 8. *Cartesiani* autem memoriam, quatenus a corpore dependet, nil aliud esse volunt, quam quod *spiritus animales*, cerebro impressa ab objectis *vestigia* denuo ingredienti, eadem *facilius aperiant*, annexasque ideas menti vel *volenti* vel *invitæ* celerius *representent*, ut in ea *conscientia* *similis olim perceptæ ideæ* oriatur.

§. 9. Simul ac tanta mutatio fit in cerebro, ut modo dicta *vestigia* deleantur, tunc nobis obrepit *oblivio*. Ex hac hypothese satis argute nonnulla circa memoriam occurrentia phænomena demonstrare solent, videl. (1) *quare quidam morbi, ictus ac senectus rerum oblivionem inducant*, (2) *quare ebrii per multa faciunt, quorum, ubi crapulam exhalaverunt, nulla ipsis superest memoria*, (3) *quare pueri præ adultis sint obliviosi*.

MEMBR. II.

De potentiis mentis, quæ ex unione cum corpore existunt in facultate ejus appetitiva.

§. 1.

In facultate appetitiva mentis corpori junctæ oriuntur etiam variæ potentie, videl. (1) *appetitus*, (2) *affectus*, quibus alii addunt (3) *vim vegetativam*, (4) *vim nutritivam*, (5) *vim locomotivam*.

§. 2. *Appetitus* est nil aliud, quam *voluntas* se exerens erga bona *sensualia*, & conjuncta est cum

peculiari sanguinis ac spirituum agitatione. Hunc scholastici ideo *sensualem* vocant, atque distinguunt in appetitum *irascibilem*, quæ circa malum, & *concupiscibilem*, quæ circa bonum versetur. Sed meliori ratione appetitus naturalis duæ constitui possunt species, videl. (1) *appetitus ingerendi* & (2) *appetitus egerendi*.

§. 3. Ad appetitum ingerendi alimenta pertinent

1. *Fames*, quæ est appetitus *sumendi cibum* ad sedandam stomachi vellicationem.
2. *Sitis*, quæ est appetitus *sumendi potum*, ut exsiccatae faucis glandulæ humectentur. Horum appetituum causas determinat Physica.

§. 4. Ad appetitum egerendi pertinent.

1. *Venus*, quæ est appetitus, ex seminis abundantia ortus, se cum femina miscendi.
2. *Excretio*, quæ est appetitus sublevandi corpus ab abundantia vel *urinae* vel *excrementorum*.

§. 5. *Affectus* sunt potentiaæ mentis, quibus ex representatione boni & mali extraordinarie inclinatur, & sanguis animalesque spiritus ad illius prosecutionem & hujus fugam peculiariter agitantur in hominis conservationem. Horum naturam & proprietates in genere & in specie in singulari libro tradidimus.

§. 6. Attribuuntur a Scholasticis menti corpori junctæ adhuc duæ alia facultates,

1. *Vis vegetativa*, qua corpus conservatur *sanum & incolume*, ut nulla in ejus organis sit perturbatio.

2. *Vis*

2. *Vis nutritiva*, qua alimenta per totum corpus deferuntur, ut omnia corporis membra in *vigore suo* conserventur. enim vero præterquam quod mens sibi harum facultatum haud sit conscia, *vegetationem & nutritionem* per organicam corporis dispositionem & humorum motum mechanicum fieri posse videtur. Quibus corpus machanice *vegetari & nutrir* vix probabile videtur, illi *anima* a mente distinctæ hoc officium deferunt.

§. 7. Meliori jure inter facultates mentis referri posset *facultas locomotiva*, cum ex parte generali pateat, spiritum gaudere *activitate* materiam penetrandi ac impellendi, ut proinde & menti citra absurditatem attribui possit *facultas per spiritus animales corporis membra movendi*, cum satis clare nobis constet, mente volente moveri corpus nostrum. Add. Physica.

§. 8. Qui menti facultatem hanc denegant, illorum nonnulli *anima* id officium demandant, ut ad arbitrium mentis membra corporis moveat, prout videre est retro in parte prima. alii autem & inter eos inprimis *Sturmius* in *Phys. Hypothes. p. m. 161.* immediatam motus localis causam facit *voluntatem Dei liberrimam & potentem*. Quominus autem ipsi imputari possit, quod secundum hanc hypotesin Deus fiat malarum actionum causa, statuit, *mentem actiones immanentes*, utpote sunt *velle, nolle, affirmare, negare &c. ex se ipsa libere producere*; Deum autem hanc sibi universalem constituisse legem: ut *volente hominis mente &*

exoptante hunc vel illum effectum ope ac interuentu corporis sui expediendum, si evenirent in corporeis organis motus & spirituum animalium determinationes, quæ ad effectum illum producendum requiruntur.

CAP. V.

De propagatione mentis humanæ.

§. 1. Cum homines per generationem multiplicari videmus, non poterit non etiam mentium humanarum numerus augeri. De modo autem propagationis pro diversis circa mentis essentiam hypothesebus diversæ reperiuntur sententiæ.

§. 2. Qui mentem hominis corpoream reputant, ac ejus essentiam in artificiosa partium corporis dispositione collocant, illi per educationem eam propagari arbitrantur. ita enim Stofchius, eodem, inquit, momento, quo per coitum maris cum femina fit conceptio, semina animi & corporis depununtur, ex quibus per fermentationem secundum leges mechanico-hydraulico-pneumaticas humana forma existit. Sed quum supra ejus thesin destruxerimus, & hæc deliria per se ruunt.

§. 3. Illi autem, qui mentes humanas spirituales esse defendunt, tres diversas de earum propagatione fovent sententiæ. Prima est communissima eorum, qui per traducem illas multiplicari credunt, ita quidem, ut mediante semine tanquam vehiculo ex anima vel patris, vel matris embryoni numero distincta communicetur anima, idque non abdicative sed cumulative. Contra hanc opinionem

nionem

nionem communiter objicitur, (1) quod sic anima statueretur discerpibilis, cum tamen id naturæ spiritus repugnet, (2) quod sic plures animæ frustra projicerentur.

§. 4. Altera est eorum, qui mentes tempore cujuslibet conceptionis a Deo creari autumant, ita ut corpori uniatur eo momento, quo corpus menti occasionem præbere potest aliquam cogitationem eliciendi, & vicissim mens aliquem motum in corpore excitare valet i. e. quando cor, cerebrum ac nervi sunt efformati. Impugnatur autem hæc sententia ex sequentibus in primis fundamentis, (1) quia Deus desierit creare, (2) quia sic Deus principalis fieret auctor in execrandis flagitiis stupri, adulterii, incestus &c. nefandis hisce conjunctionibus animas suppetitando, (3) quia concipi haut possit, quomodo mens, omnis labis & noxæ expers a Deo creata, potuerit a corpore tanquam inertis materia inquinari.

§. 5. Tertia est eorum, qui præ-existentiam mentium i. e. earundem initio mundi factam creationem stabilire conantur. etenim putant, mentes humanas in alio statu olim vixisse, ubi de creatoris sui gratia sua culpa exciderint, & propterea ex nemese divina ingrediendo corpora terrestria hujus vitæ acerbitates gustare, ac applicatione medicorum salutis se emendare debeant.

§. 6. Et hanc sententiam *Henr. Morus* in libro II. de *Immortalitate animæ* cap. 12. denuo stabilire nititur, idque ideo, (1) quia inde multa divinæ providentiæ mysteria demum melius intelligi possint, & (2) quia præstantissimi Philosophorum veterum &

recentiorum idem sensisse reperiantur. enim vero huic opinioni objicitur (1) quod sic mentes prioris sui status recordari, & (2) successive hominum numerus decrescere deberet, cujus tamen contrarium experientia edocet.

CAP. V.

De statu mentis post mortem.

§. 1.

Sed homines genitos rursus mori deprehendimus, unde corpora putredine corrupta in elementa, quibus constant, resolvuntur: *quid itaque de mentibus sit statuendum, disquirendum erit.*

§. 2. Qui mentes humanas corporeas esse & in organica partium corporis dispositione consistere putant, illi istas *instar corporum in atomos per mortem resolvi ac corrumpi* statuunt. Quominus autem ideo impietatis postulentur, addunt nonnulli, *animas humanas in futura resurrectione simul cum corporibus vitæ denuo esse restituendas.*

§. 3. Nos, qui animas humanas spirituales & corporibus contradistinctas substantias esse demonstravimus, *illas simul immortales, ita ut post corporis interitum integra supermaneant*, ideo satis firmiter concludimus, quia entis spiritualis natura, uti supra probavimus, in eo consistit, ut in plures partes dividi nequeat.

§. 4. Quod si enim corpus, facta licet partium dissolutione, non in nihilum sed in sua modo elementa & principia redeat, multo minus mentes a corporibus separate tanquam entia spiritualia & nobiliora statim in nihilum transibunt. Quo minus autem

autem more corporum post factam ab iis separationem dissolvantur, formamque quasi amittant, obstat earum *indivisibilis natura* supra cap. 1. membr. 1. adstructa.

§. 5. Proinde mentes non possunt non ad minimum tamdiu in *sua forma*, ut ita loquar, *perdurare*, usquedum a S. Numine per absolutam potentiam in nihilum redigantur. Quod autem Deus nullatenus illas sit annihilaturus, verum quod potius divino beneplacito conveniat, mentes in primis pias sempiternas esse & manere, clare persuadent

1. *Dei benignitas*, qua non potuit non mentes rationales creare *felicitas fruenda gratia*, quod si autem post tam breve tempus vellet eas destrueret, cum vix primitias felicitatis ob continuas hujus vitæ ærumnas degustassent, potius *crucian-*
di quam beandi gratia mentes cum collatione tot bonorum condidisse credendum esset, qualem crudelitatem de Deo imaginari blasphemum est.

2. *Dei justitia*, qua non potest non efficere, ut ad minimum illæ mentes, quæ ipsius legibus omni possibili conatu obtemperare contenderunt, tanquam sui cultores & amatores sint perennes, nisi velimus credere, Deum sui obedientiam parum aut nihil curare, idque eo magis, quod sæpe divine sanctitatis cultores in hac vita maxime acerba experiantur fata. Nisi itaque præmio quopiam vitæ hujus incommoda probis pensaret, sibi ipsi, ut ita dicam, contradiceret, qui vellet, homines debere ipsius leges observare, & tamen eos, qui maxime huic ejus voluntati obtemperarent, omnium pes-

*sime haberi pateretur. Quinimo Dn. Poi. et in Co-
gitation. Ration. Lib. III. c. 15. satis argute ostendit,
vi iustitiae divinae mentes peccatrices hanc debere
annihilari, nam alias sequeretur, Deum tacere &
se gerere peccato admissio, ac si nil plane admissum
esset, siquidem annihilare nil aliud sit, quam se
gerere, quasi nil esset factum.*

3. *Dei veracitas, vi cuius mens nostra non potest
non esse immortalis, quandoquidem ei claram
immortalitatis ideam cum ineluctabili ejus appeti-
tu conjunctam insevit. cum itaque Deus vi vera-
citatibus sanctae nos decipere nequit, de mentis no-
strae immortalitate etiam naturaliter possumus
esse certi. Imo ipsi impii futuri status ita sunt
conscii, ut nullis argutiis ac considerationibus
eam conscientiam possint deponere.*

§. 6. *Prædicta omnia, qui citra præjudicium
perpendit, veritatem & certitudinem immortalitatis
nostrae mentis facile intelliget. Accedat itaque ad-
versarius & præter modo recensita adhuc mecum
consideret, sæpissime hominibus morti vicinis, quorum
corpus per morbum jam languescit, nihilominus in-
corruptum mentis vigorem perstare, quinimo intelle-
ctuales animi operationes eo purius se sæpe exserere,
quo magis animus e corporis materia se in moribundis
extricare conatur. Profecto non poterit non confi-
teri, quod satis probabile sit, mentes relicto corpore
superstitibus esse mansuras.*

§. 7. *Cum mentes immortales hæcenus de-
monstravimus, inquirendum erit, quid ratio de ea-
rum statu post mortem determinet. hæc ex idea di-
vinæ*

vinæ

vinæ justitiæ & bonitatis nil aliud elicere poterit, quam ut bonis felicior, malis infeliciores, quam in hac vita habuerunt, assignet statum. Quibus autem veterum traditionibus fidem adhibere consuevit, hi cum illis multa specialius nosse volunt, quorum placita paucis recensere operæ pretium esse duxi, ut intelligamus, quam diversa sint phantasiæ judicia in rebus, quas ratio evidenter cognoscere nequit.

§. 8. Sic Pythagorei, ut determinarent diversum mentis post mortem statum, crediderunt *μετεμψυχωση*, qua destructo corpore anima semper in aliud atque aliud corpus transeat, ita ut, terrestribus, marinis ac volatilibus omnibus peragratis, rursus in humanum quoddam corpus ingrediatur, eumque circulum per 3000. annos absolvat. Add. *Hist. Phil. Part. I. Sect. II. cap. 1.*

§. 9. Hanc veterum philosophorum de *animarum revolutione* doctrinam ex recentioribus in *Fr. Merc. van Helmont* in variis scriptis ita innovare voluit, ut statueret, certum animarum numerum in initio mundi fuisse conditum, quæ sub Principe Adamo a Deo desciverint, & pœna loco in corpora successive sint detrusa, ita ut cuilibet certum temporis spatium sc. 1000. annorum fuerit præstitutum, in quo per *sanctimoniam ad cœlestia gaudia se præparet*. Hoc 1000. annorum spatium auctor putat continere 12. *revolutiones*, in quibus diversis vicibus corpora nova ingrediantur, exceptis *piis*, quorum mentes in prima vel secunda periodo se jam per fidem in *Messiam* purgaverint. Illas autem mentes, quæ in *dictis 12. revolutionibus* per fidem ac pœnitentiam

G 3

non

non fuerint ad Deum reversæ, ad *infernales pœnas* demum condemnatum iri.

§. 10. Et illam de *animarum revolutione* hypothesin magno conatu stabilire voluit *Polycarpus*, ut se vocat, *Chrysostomus* in dedicatione, quam *Christ. Democriti* opusculo in linguam germanicam translato, von der Kranckheit und Urhency des Leibes præmisit, ubi auctor sequentes theses defendit.

1. *Quod doctrina de animarum revolutione sit in sacris litteris fundata*, idque demonstrare contendit ex *Eccles. VIII. v. 10. Ps. CX. 4. Ezech. XXXVII. 1-14. collat. cum v. 25. 26. 27. 28. Sap. II. 4. 5. Rom. XI. 26.*
2. *Quod doctrina de animarum revolutione tempore Christi communissima fuerit opinio*, uti pateat ex *Marc. VIII. 28. IX. 20. nec tamen ab ipso tanquam erronea unquam sit reprehensa*, quamvis sæpe occasionem eam redarguendi habuerit.
3. *Quod per hanc de animarum revolutione doctrinam S. Scriptura liberetur a plurimis difficultatibus & contradictionibus*, idque via facillima. e.g. *Apoc. XIII. 10. Deus* minatur mortem & captivitatem eis, qui injuste alios vita ac libertate privarunt, quod tamen multoties fallat, si animam modo semel in corpore apparere credamus.
4. *Quod ex hac de animarum revolutione doctrina demum idea justitiæ & misericordiæ divinæ clarius intelligatur*, ita ut nullus hominum, s. gentilis s. Christianus sit, conqueri possit, quod non sat temporis & occasionis ad sui conversionem acceperit.
5. *Quod ex divina sapientia ita ordinatum, ut mens semel a corpore per mortem separata & in alterum*
vel

vel tertium rursus detrusa, nullam pristini status retineat memoriam, idque ob duas imprimis rationes, (1) quia homines vitiosi alias redderentur nimis securi, (2) quia expediret oblivisci vitiorum pristinorum, ut nova & voluntati divina conformior inchoetur vita.

6. Quod mentes, quæ in qualibet revolutione se emendare tentent, toties revolvantur, usque dum illum fidei & pietatis gradum attigerint, quo in numerum beatorum recipi mereantur. Quæ vero in prima secunda & tertia revolutione fiant deteriores, illas in gehennam detrudi credit auctor, ut ibidem infernalibus cruciatibus emendentur.

§. 11. Platonici, uti jam supra notavimus, credebant, mentes, relicto hoc corpore terrestri, induere *vehiculum æreum*, versarique in aëre, sed cum hoc discrimine, quod *probe* assumantur in consortium dæmonum proborum, & *male* in sodalitia malignorum dæmonum cogantur degere, ita quidem ut illæ feliciorum, hæ vero infelicissimam habeant conditionem, dum variis modis cruciarentur usque dum resipiscant. Vid. retro Proleg. §. 11.

§. 12. Non multum ab hac opinione differt Auctor von dem mittlern Zustand der Seelen, qui ex plurimis Patrum ac Scripturæ locis probare satagit, quod sint variæ proborum & improborum post hanc vitam *mansiones*, pro gradu nequitiae & pietatis vel *duriores* vel *amœniores*, in quibus separata a corporibus mentes pro earum diversa conditione vel *cruciantur*, vel *castigentur*, vel *purificen-*

tur, vel erudiantur, vel recreentur usque ad diem
 iudicii extremi.

§. 13. Medium emendationis Auctor docet
 esse ignem, quem ideo vocat *emendatorium*, quo
 pro gravitate vitiorum vel *severius* vel *mitius*;
 vel *brevius* vel *diutius* purificenter, secundum ef-
 fatum Pauli I Cor III. v. 13. Reliquæ rationes,
 quibus suam hypothesein stabilire nititur, sunt.

1. Quia plerique homines cum habitibus peccatorum,
 infantes autem cum privatione boni moriantur.
2. Quia habitus vitiorum non in instanti deponantur
 nisi per miraculum, quale intervenire in omnium
 hominum conversione non sit verosimile.
3. Quia potius intellectus & voluntatis emendatio
 fiat *successive*, ideoque credendum sit, Deum
 post hanc vitam *locum* & *tempus* se perficiendi
 hominibus esse concessurum.

§. 14. Enim vero in rebus obscuris præstat ta-
 cere & nil definire, quam certi quid statuendo se
 periculo erroris exponere. Certiora de mentis
 statu post mortem affert *revelatio*, qualia cum
 exponat Theologia revelata, nostrum non est
 attingere, proinde; cum ratio nil amplius
 dicat, subsistimus, libroque im-
 ponimus finem.



Coll. diss. A. 39, misc. 15